

## Eusebianum

### *Adnotatio ad Epistulam Antonini Pii a Christianis fictam*

In Antonini Epistula ad Commune Asiae data (Eus. hist. eccl. 4, 13, 5), quam iam saeculo secundo exeunte a Christianis fictam esse alio loco contra diversam opinionem ab Eduardo Schwartz prolatam contendit<sup>1)</sup>, narratur Christianos terra ingenti motu concussa fidentiores esse erga deum (πρὸς τὸν θεόν) quam alios homines. Tum auctor sic pergit: ἡμεῖς (sc. pagani) δὲ παρὰ πάντα τὸν χρόνον, καθ' ὃν ἀγνοεῖν δοκεῖτε, τῶν τε θεῶν τῶν ἄλλων ἀμελεῖτε καὶ τῆς θρησκείας τῆς περὶ τὸν ἀθάνατον, in qua sententia enuntiatum illud relativum (καθ' ὃν ἀγνοεῖν δοκεῖτε) sensu omnino videtur carere. Nam quod priores interpretes (e. g. H. Veil) ad explanationem attulerant — 'in omni tempore, quo de talibus (sc. terrae motibus) ignoratis'<sup>2)</sup> vel nihil sentitis, i. e. tempore securo —, probari nequit, id quod optime illustratur textu parallelo qualis invenitur in Cod. Apologetarum Par. 450: ἡμεῖς μὲν ἀγνοεῖν δοκεῖτε παρ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον (sc. τῶν σεισμῶν) τοὺς θεούς. Sensus igitur in Eusebii quoque textu hic est: 'in omni tempore, sc. terrae motuum', ita ut minime quadret locus a quibusdam allatus Lactantii Inst. 2, 1, 9 sqq. *si qua necessitas gravis presserit, tunc deum recordantur . . . ; postquam metus deseruit et pericula recesserunt, tum vero . . .* eqs.). Quod qui intellegit, is falsa Veilii interpretatione remota in difficultatibus remaneat necesse est, incertus quid sibi velit illud καθ' ὃν ἀγνοεῖν δοκεῖτε.

Iam videamus, quid ad rem adnotaverit Schwartz! In editionis maioris apparatu critico satis amplo invenimus hoc: „καθ' ὃν — δοκεῖτε difficillimum explanatu, putarim errorem latere in καθ' ὃν.“ Quod si probaremus, desperationis crux loco apponenda esset. At minime de aenigmatis solutione desperandum, ut mihi quidem videtur. Ipse autem Eusebii sospitator clarissimus, cum editionem minorem emitteret, mutata opinione eo adductus est, ut transponendi artificio fretus<sup>3)</sup> textum restitueret hunc: ἡμεῖς δὲ παρὰ πάντα τὸν χρόνον [καθ' ὃν] ἀγνοεῖν δοκεῖτε, <καθ' ὃ> τῶν τε θεῶν . . . ἀμελεῖτε καὶ τῆς θρησκείας τῆς περὶ τὸν ἀθάνατον. Aliter Kirsopp Lake (in volumine Bibliothecae a J. Loeb conditae) in καθ' ὃν latere putat καὶ θεόν. Quem quamvis rem ingeniose excogitantem a veritate aberrare mihi quidem persuasum est, cum καὶ illud ante θεόν positum nobis accuratam interpretationem poscentibus summopere displiceat. Quid? Nonne καθὼν potest fuisse καθο-

1) Cf. Maiae vol. VII (1954) p. 1 sqq. ('The Christian Re-interpretation of the Rescript of Hadrian'), ubi textus sanandi occasio defuit, cum id solum agerem, ut quaestio historica summam perspiceretur.

2) Me ad rem explanandam ipsa Rufini translatione usum esse animo libenti confiteor, quamquam Rufinum sensum qualem accipit Veil minime in animo habuisse non nescio.

3) Hoc modo saepius Ed. Schwartz difficultates enodare conatus est (v. quae disputavi in Actis Neotestamenticis: ZntW 1941, p. 115 adn. 119, cf. ibid. p. 107 et Ed. Schwartz, Ind. lect. Rostoch. 1888, p. 15 sq.), cuius remedii saepius adhibendi sectator nunc exstitit Haraldus Fuchs (v. e. g. quomodo tractaverit Caes. bell. Gall. 7, 14, 4).

λου? De καθόλου ante negationem (aut verbum, quod habet vim negationis) posito cf. exempli gratia Act. apostol. 4, 18 καθόλου μὴ φθέγγεσθαι (Vulg.: 'ne omnino loquerentur'). Quod si respicies, textus tibi evadet hic: ὑμεῖς δὲ παρὰ πάντα τὸν χρόνον καθόλου ἀγνοεῖν δοκεῖτε (sc. τὸν θεόν paulo ante commemoratum), τῶν τε θεῶν τῶν ἄλλων ἀμελεῖτε καὶ τῆς θρησκείας τῆς περὶ τὸν ἀθάνατον.